7

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

FRATRI SUO,

ET AMICO ET DILECTO,

SAMPSON BEAMISH,

ARMIGERO,

AMORIS FRATERNI

TESTIMONIUM,

HOC TENTAMEN,

OFFERT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22271491

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

TAM hominem, quam alia animalia ſanguine calido prædita, vita frui non poſſe, vel brevi ſpatio temporis, functione reſpirationis ſuſpenſa, patet. Obſervatione diſcimus, omnia aëris genera non æqualiter reſpirationi favere; ſed ad hunc finem partes, ex quibus componitur aër, rationes certas inter ſe habere, neceſſe eſſe.

 Præterea

Præterea aër circumfluus alte in minutiſſimas pulmonum veſiculas introitum facit, aliquando rebus hæterogeneis, nunc blandis, nunc acribus onuſtus ; et ex his cauſis, vel ad reſpirationem ſuſtentandam, vel hujus effectus, quos natura deſtinavit, efficiendos, inaptus fit.

Præter hæc, pulmones ſolos, ſunt alia, hos una cum membrana cingente, afficientia, vis ſcilicet extrinſecus illata, et motus thoracis alternantes ; nam hi motus, non raro inæquales, tranſitum per pulmones difficiliorem ſanguini præbent, et hoc modo congeſtionibus, ejuſque conſequentiis, occaſionem edunt.

Deinde nil mirum, pulmones, ſtructura tam tenui, et quorum eſt reſpirationis munere fungi, morbis magis proclives eſſe, quam aliam corporis humani partem. Ex his morbis, inflammatio ſi non frequentiſſima, ſaltem haud minimi momenti eſt, et quamvis in ſtatu ſano, parvitas et paucitas nervorum, una cum experimentis

perimentis Profeſſore Monro inſtitutis, pleuram in ſtatu ſano haud valde ſenſibilem eſſe, nos ſuadent; tamen inflammatione correptam, mœſti ægrorum dolores valde ſentire evincunt.

Ex morbis, quibus hæ partes acclines ſunt, inflammationem pro ſubjecto hujus diſſertationis ſelegi, morbum, cujus ſymptomata maxime torquentia, progreſſus velociſſimus, et exitus periculoſiſſimus; ſed in quo, ars medica caute, judicioſe, et diligenter facta, maxime valet.

Sub nomine Pneumoniæ, inflammationes omnium thoracis viſcerum, et membranarum, generatim comprehendere volo; cum, quia indicia nulla ſunt pathognomonica, per quæ pro certo habeamus, an mediaſtinum, pericardium, diaphragma, pleura coſtalis, an parenchyma inflammentur, tum, quia nulli momenti, his partibus vix unquam ſigillatim affectis, et juvantibus et ledentibus iiſdem. Ham opinionem

nem amplexus ſum non unquam non venerandi Sydenham et Pringle obſervationibus fretus, et hic eorum verba citare volo: Ille inquit, "Variis hujuſce morbi phænomenis "diligenter perpenſis, nihil aliud illum eſſe "arbitror, quam febrem a propria et pecu-"liari ſanguinis inflammatione ortam, qua "natura materiam peccantem in pleuram "deponit, nonnunquam et in pulmones, un-"de peripneumonia ſuboritur, quam a priori "gradu tantum, et pro majore ejuſdem "cauſæ intentione, extentuque latiori differ-"rè autumo *." Hic inquit, "But in what-"ever place obſtruction fixes, ſince the cure "is ſo much the ſame, we may be the leſs "anxious about knowing where it lies †."

D E-

* Sydenham, De Pleur. p. 229. edit. tert. Lond.

† Pringle on Diſeaſes of the Army, p. 170.

DEFINITIO.

"Dolor in quadam thoracis parte, reſpira-
"tio difficilis, tuſſis*." Sub hoc genere comprehenduntur duæ ſpecies, ſecundum CULLEN, altera, *pleuritis*, altera, *peripneumonia*, appellata.

HISTORIA.

Pneumoniæ, æque ac fere omnibus haud parvi momenti affectionibus inflammatoriis, comiti eſt febris, quacum ut plurimum ingruit, haud ſecus ac laſſitudine, horrore, ſiti, pulſu frequentiore, calore, oppreſſionis ſenſu, et debilitate; hæc per aliquod temporis, nunc paucas horas, nunc paucas dies, perſtantia, excipit dolor, in aliqua thoracis parte perceptus, et inſpiratione aggravatus. Aliquando potius ponderis, et oppreſſionis ſenſus, quam doloris ſentitur, ſimulque eſt

* Synopſ. Noſolog. Method.

eſt in thorace anguſtiæ perceptio. Pulſus durus, tenſus, validus, aliquando plenus, et mollis, nec deſunt exempla, quibus parvus, exilis, et debilis adeſt. Spiratio difficilis et celer. Dolor ad ſitum variat, in parte thoracis anteriore, poſteriore vel laterali perceptus, et in quocunque lateri ſentiatur, inter ſextam, ſeptimamque coſtam, in media longitudine ut plurimum invadere, inter fere omnes conſtat. Hæc ſymptomata, tuſſis, interdum ſicca interdum humida, aliquando paroxyſmis impetum faciens exacerbat, quæ nunc vehementiora fiunt; dolor, qui, morbo incipiente, unico loco inhærebat, hic et illic graſſatur, et nunc vel totum pectus obruat. Æger, qui incipiente morbo, in latus dolens, progrediente, in utrum recumbere nequit; nunc grave cruciatus, et, non niſi corpore erecto, vel prorſum tendente, quieſcere valens, adſtantibus, ad humeros ſuſtollendos obſecrat. Facies tumet, turgeſcit, et rubeſcit, vel purpuraſcit: Labia liveſcunt: Lingua, et fauces interni, fuſca et rugoſa evadunt:

evadunt: Oculi protrudunt, et vaſa illorum turgentia et rubentia fiunt.

In hoc morbo alvus vel valde adſtricta, vel ſoluta eſt. Urina phænomena haud communia exhibet, pridem parca, limpida, tenuis, et pellucida, nunc rubra fluit, et ſepoſita, ſedimentum furfuraceo lateritium deponit.

Spiritus olet; ſudores frigidi fronte exudant; extremitates tument; inquietudo, debilitas, et anxietas magna, ægrum torquent; in extremo, vel coma, et delirium, vel ſubſultus et tremores, ſcenam vitæ claudunt.

Sed eventus non ſemper tam infauſtus eſt; nam ſputum, die ſecundo jam peracto, magis album, ſpiſſum, et circiter quartum, ſpumoſum ſanguineumque, ſymptomata omnia ſubſidentia comitatur, brevi evanitura.

Interdum

Interdum hoc accidit, multo plus temporis, uſque morbi die quarto-decimo jam elapſo; nec deſunt exempla, quibus contigit tertia hebdomada.

De variis terminationibus, pauca nobis offerenda ſunt, nimirum quæ ſingularum diſcrimina deſignent.

Primo, de Reſolutione dicemus: hæc terminatio multum optanda, perraro ſponte, plerumque initio morbi, ſed aliquando hoc per dies haud paucas manente, accidit. Sæpiſſime comites ſeſe prebent, pauciora plurave horum ſymptomatum; ſcilicet libera, materiæ copioſæ, ſpiſſæ, denſæ, perſæpe ſanguine linitæ, expectoratio; urina turbida, et nebuloſa; frequenter ſudor calidus, tenuis, per totum corpus fluens; hæmorrhagiæ, preſertim e naribus; diarrhœa ſponte occurrens, criſin præbere dicitur; idem eruptioni in cutem, vel abſceſſibus externe apparentibus, attribuitur.

tur. Remiſſiones doloris, pyrexiæ, dyſpnææ, et tuſſis, ſimul concurrentes, reſolutionis brevi temporis peragendæ nos dubium habere non ſinunt.

Secundo, Suppuratione; hæc incipiens, poſt inflammationem diuturnam, et pertinacem, remiſſione doloris, ſputis nullis, et dyſpnæa uſque perſtante; ſudore partes corporis tantum irrigante; tuſſi ſicca, motu graviore facta; in thorace moleſtiæ, vel ponderis ſenſu; rigore; decubitu in latus ſanum difficili; arteriarum pulſu celero, et vario notatur: et hectica jam perfecta, abſceſſum plene formatum diſtinguit; qui in bronchias, pthiſim, vel in thoracis cavitatem empyema formans, ſed raro in abdomen per diaphragma prorumpat.

Inter terminationes, ſcirrhus aliquando, ſed non ſæpe, locum tenet; et cum res ita ſeſe habet, mihi conſtat, tuberculas pulmonibus

non prius abeſſe, quarum numerum, et magnitudinem, hic morbus accumulavit.

Præter has ſupra memoratas terminationes, eſt alia, Pneumoniæ propria, in bronchias ſcilicet, et telam celluloſam effuſio vel ſanguinis integri, vel parte rubra retenta, materiæ albidæ, quæ, quod ad ſpiſſitatem attinet, variat, vel tenuis ſerum, vel craſſæ pus referentis, ſuffocationis minas intendens.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Huic morbo proclives ſunt fibris tenſis, et robuſtis præditi; pauperes, quibus ſors aſpera labores duros impoſuit; ventri nimis obedientes, et laticium meraciorum potores; anni tempora, quibus caloris et frigoris viciſſitudo eſt maxima, ſicut ver et autumnus, prædiſpoſitionem præbent; certæ tempeſtatis conditiones, uti aër frigidus et humidus, et præcipue

Eurus;

Eurus; magis alii, quam alii gradus vitæ, ut inter trigeſimum et quinquageſimum ætatis annum, huic morbo obnoxios reddunt.

Quanquam homines, morbi cauſis, tam excitantibus, quam prædiſponentibus expoſiti, ſæpius quam fœminæ deprehenduntur; tamen hæ morbo correptæ, propter temperamentum, plenum, ſanguineumque; irritabilitatem, et compaginis molitiem, moleſtius affliĉtantur, et ſecundum horum gradum, magis eſt timendum. Thorax non bene conformatus, non immerito inter cauſas prædiſponentes, recenſetur, cum hinc circuitui ſanguinis impedimentum oriens congeſtiones gignit. Habitus in hoc malo reducendo, multum pollet.

CAUSÆ EXCITANTES.

Caloris et frigoris alternationes ſubitæ, non inepte inter cauſas excitantes auĉtoribus enumerantur.

merantur; ultimis vaſis conſtrictis, et exhalatione per cutem ſuppreſſa fluida, in partes intimas repelluntur, inde diſtentione vaſorum, quæ ſanguinem vehunt, et vi tonica auctis, actiones eorum, et contractiones validiores redduntur; hoc modo, congeſtiones propagantur, et hinc morbus. Hoc modo agunt expoſitio ad aër frigidum corporis jam labore debilitati et calefacti, ſimulque ab hoc ceſſantis; in iiſdem corporis conditionibus, aquæ frigidæ hauſtus, et ab conclavi calido ſub Jove humido, et frigido exitus.

Pneumoniam excitant plaga, vel aliud damnum in thoracem factum; interdum vapores corroſivi, acreſve in pulmones inhalati; alti cantus, vel orationes protractæ, vel violenter editæ. In peculiaribus aëris ſtatibus, ut hieme duro, et variabile vere, epidemice graſſari dicitur. Symptoma aliquando in rubeola, vel etiam catarrho, inflammatione per membranam mucoſam iter ad pulmones legente, occurrit.

occurrit. Pthiſim interdum comitatur. Interdum etiam cynanches receſſui, podagræ retroceſſioni, vel eryſipelatis metaſtaſi ſupervenit.

PROGNOSIS.

In hoc morbo multum arte poſſumus, et quanquam remediorum idoneorum uſus tempeſtivus prognoſin propitiam formare plerumque nos ſinit; tamen vitam prorſum in dubio eſſe, ſemper videndum eſt. Annis provectiores, morbis antecedentibus exhauſti, et debiles, ſummo periculo labuntur.

Male ominantia ſigna ſunt, dolor conſtans, acutus, thoracem transfigens, inflammationem vagum indicans; tuſſis dura, et violenter agitans, vel frequens crebra et ſicca; dyſpnæa urgens, vel orthophnæa effuſionem notans, cujus magna copia lethalis eſt; faciei et oculo-

rum

rum turgeſcentia, et rubedo; labiorum lividitas; pulſus debiles; ſudoribus quædam corporis partes madentes; epectoratio nulla, vel ſuppreſſa, quod vel ab virium vitæ defectu, vel forte effuſione aucta, vel interdum intempeſtivis et nimis plenis ſanguinis miſſionibus, oritur.

Poſtremis, catharſis, coma, ſtupor, tremores, et tendinum ſubſultus, ſæpe occurrunt, et fere ſemper lethales ſunt. Morbus violentus, ſæpe poſt diem quartam, ultra medici poteſtatem progreſſus eſt; ſed lenis, poſt ſecundam, etiamve tertiam hebdomadam ſanatus fuerit.

Bonum eſt, ſi æger facile in ullo corporis ſitu recumbere poteſt, ſi reſpiratio facilior evadit, ſiti et calore interno minoribus, ſimulque tuſſi facili, et ſputum ſpiſſum, ſpumoſum, et ſanguinis lituris ſcatens ejiciente. Hippocrates indicia bona his verbis breviter enumerat.

*ἐςι δὲ αγαθον μεν και τουτοὶσι, και πᾶσι τοῖσι περὶ πλευμονα, φερειν ῥηδιως τὸ νουσημα, της ὀδυνη ςαπηλαχθαι, το πτύαλον εὐπετεως ἀναγεῖν, εὔπνοον εἶναι, καὶ ἄδιψον, τω σῶμα ἅπαν ὁμαλῶς θερμανεσθαι καὶ μαλθακον εἶναι· και πρὸς τοῖσιν ὕπνους, ἱδρῶτας, οὖρον, διαχώρησιν, χρηςαγινεσθαι· κακὰ δὲ τἀναντία τούτων ἐιμεν οὖν παντα προσγενοῖτο τῶ πλυσματι τουτωτα χρήσιμα σώζοιτ' αν**.

DIAGNOSIS.

Nullus eſt magis, quam Pneumonia morbus, cujus medicus experientia expers, et minus cautus, cum aliis confundendi in periculo eſt; tamen, animo ſolerte adhibito, et hiſtoria, ſymptomatibus, horumque progreſſu rite perpenſis, cito evaneſcit difficultas: Hi morbi præcipue ſunt hepatitis, peripneumonia notha, et gaſtritis.

Hepatitis,

* Hippoc. Vander Lind. p. 559.

Hepatitis, cum dolore ſummum humerum occupante, tuſſi ſicca, ſingultu, et ſæpe vomitu comitatur; dolor in hypochondrio dextro ſentitus tactu augetur, et non raro tumoris aliquid ibidem percipitur; et decubitus in ſiniſtrum latus difficilis; facies pallida, et coloris plumbi eſt.

Peripneumonia notha, ſpiritibus diſtillatis deditos, temperamenti phlegmatici, obeſos et debiles invadit. In hoc morbo caput inter tuſſiendum maxime dolet. Pulſus neque validus, neque durus invenitur.

Summatim omnia ſigna febrilia, quam in Pneumonia leviora ſunt.

Denique, gaſtritis diſtinguenda eſt præſertim caloris ſenſu intenſi, et vomitu ingeſtis quibuſlibet citato.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Pyrexia, naturæ nixibus ad congeſtionem in pulmones, fluidorum ab ſuperficie corporis repulſu inductam ſubmovendam, oritur.

Dyſpnæa, bronchiarum infarctu, vaſorum congeſtioni conſequenti, et ſæpe in eas effuſione, vel inſuper dolore, ab inſpiratione intento, pendet.

Tuſſis oritur ab cauſis dyſpnææ ſupra dictis membranæ mucoſæ irritationem præbentibus; initio ſicca; ab vaſorum exhalantium conſtrictione excretionem ſupprimente; poſtea humida, vel cruenta, a ſpaſmi relaxatione, vaſorum laxitate, et tunicarum eorum diſtentione, rapturaque evadit.

Remora, et refluxus ſanguinis in venis jugularibus, impedito per pulmones tranſitu, ru-

bidinem faciei pariunt. Adeſt etiam fortaſſe ſanguinis auctus per arterias impetus, quem deſignant cephalalgia, dolores oculorum, et color rubidus; ſed ex lividitate faciei aliquando præſenti conſtat ſanguinem ex magna parte venoſum eſſe.

Dolorem, plenitudine et diſtentione vaſorum inflammatione correptorum oriundum eſſe, judicare licet.

RATIO MEDENDI.

Conſilia tria ſunt: 1. *Reſolutionem obtinere:* 2. *Expectorationem elicere:* 3. *Corporis vires reſtituere.*

Reſolutionem, terminationem unicam ſalutarem in Pneumonia, aſſequi omne ſtudium adhibendum eſt. Ad hunc finem nihil tam multum valet, quam aptorum ad vaſa totius corporis,

corporis, et præſertim partis laborantis reſolvenda, remediorum adhibitio. Ad hæc itaque, quam citiſſime, vel morbo imminente, confugere noſtrum eſt. Inter fere omnes conſenſum eſt, ſanguinis miſſionem hanc indicationem optime reſpondere. Tanto melius, quanto ocyus fluit ſanguis, cujus profluxui corpus erectum favet; ſed ægro huic, non ſecus ac cum deliquii animi proclivitate, ſubeunte, ſufficiet orificium magnum in vena hians. Sydenhami fuit opinio generatim rectum eſſe, ſanguinis miſſionem, ad uncias decem indie, per dies quatuor ſuccedentes limitare; ſed multo plus ſanguinis, vel ad uncias octoginta cum exitu felici miſſum fuerit. Nulla regula ſemper perſequenda ſanctiri poteſt. Dolor crucians, dyſpnæa, faciei rubedo, et pyrexia vehemens, ſanguinis miſſionem poſtulant, quæ, ſi hæc ſymptomata in præſens pacata, mox, ut non raro contingit, redierint, concedentibus ægroti ætate, vigore, ſexu, et moribus vitæ, repetenda eſt. Cum hæc acciderint, niſi prius ſymptomatum remiſſio

remiſſio obtineatur: ARÆTEUS et HIPPOCRATES hoc remedium πρὸς τὴν λειποθυμίαν perſequi monent. Sed quoniam nonnulli unciarum paucarum jactura animo linquantur, ſed alii, non, niſi ſanguine magna copia emiſſo ſyncope afficiuntur, non decet hoc conſequi. Ad adventum ſyncopes, ſudoribus frigidis faciem irrigantibus, nauſea, et pulſus exilitate deſignatum, ſanguinem ſiſtere debemus. Sanguinis detractio intempeſtive immodiceve facta, hydropem, debilitatem, et convaleſcentiam tardam parit.

Simulatque ſputa, præſertim ſi copioſa, videantur, veneſectione abſtinendum eſt; et ſi etiam nunc perſtiterit dolor, ad cucurbitulas cruentas, ſcarificationes, et epiſpaſtica confugiendum eſt.

Poſtremis uteremur, cum ab debilitate nimia, ſenectute, aliiſque ſimilibus, plus ſanguinis non tuto abſtrahatur. Præcepta bona

deponit

deponit PRINGLE cum dicat: “ If, notwith-
“ ſtanding this diſcharge, the breaſt conti-
“ nues to labour, bleeding is ſtill requiſite.
“ But in no caſe can there be more danger of
“ going to extremes, whether in ſuffering the
“ lungs to be overpowered by the omiſſion of
“ bleeding, or hazarding the ſuppreſſion of
“ the ſputum by bleeding too fully *.” Idem
auctor addit, “ But with regard to bliſters,
“ there need be little caution at ſuch a junc-
“ ture, as they are always ſeaſonable, whe-
“ ther for raiſing the pulſe, relieving the
“ breaſt, or promoting expectoration†.” Pneu-
moniam levem ſæpe ſanarûnt veſicatoria, ju-
vante exili tantum ſanguinis miſſi quantitate.
Hæc parti inflammatione correptæ quam pro-
piſſime applicare, oportet, et ſæpe per morbi
decurſum repetere, licet.

Veſicatoria

* PRINGLE on Diſeaſes of the Army, p. 175.

† Id. Auctor. p. 176.

Veſicatoria commodum majus habent, miſſione bis terve præmiſſa, vel juxta Pringle praxin perſæpe felicem, qui epiſpaſtica applicavit, contentus ſi ſanguis miſſus ſit, veſicatione nondum incepta. Regimen antiphlogiſticum in omni parte adhibendum eſt. Aëris temperamentum gradum ſexageſimum neutiquam excedat. Animi et corporis labore, impetum per pulmones impellente abſtinendum eſt, et ſimiliter omnia animi agitationem cientia ægrotos evitare neceſſe eſt, hujus generis ſunt ira, luctus, mœſtitia, colloquium. Cibus tenuis, parca, parum nutriens, debet eſſe, nimirum decoctum hordei, fructus acido-dulces, panada, &c. donec ſub morbi finem, cum vini pauxillum probatum ſit.

Potus ſubtepidus ſæpius bibendus eſt, ſi acidulatus, melior; niſi irritationem edendo tuſſim moveat: Alvi aſtrictioni, et non minus catharſi, obviam iri neceſſe eſt; alvum leniter

ſolutam

ſolutam habere ſufficit; cui inſerviunt laxantia lenia, vel enemata emollientia.

Simulatque expectoratio apparet, aſſidue promovere debemus. Hoc conſilio, olim in uſu fuerunt ſtimulantia, ſcilicet G. Ammon. Benzoin. multaque talia; ſed nunc Scilla, alvi ſolvendi poteſtatem præterea habens, palmam fert. Demulcentia mucilaginoſa, et olea vegetabilibus expreſſa, epiglottidem illinendo, et hoc modo muci acrimoniam obtundendo, per quam tuſſis perfrequens excitatur, commodo ſunt iis, quorum ventriculis nauſeam non gignunt. Vapores aquæ tepidæ in pulmones inhalati, vaſa relaxando multum beneficii præbent, aceto commixti nimis ſtimulantes fiunt, et tuſſim frequentiorem reddunt. Quamquam emetica, niſi ſub finem morbi, in corporibus phlegmaticis, et ubi bronchiæ muco infarciuntur injuriam ferunt; tamen Antimon. tart. et præcipue vinum ejus, doſibus parvis et ſæpe ſumptis, celebratum eſt pro ſputorum illicibus,

illicibus, in hoc morbo. Sudorem ciere per remedia ſtimulantia, et calorem externam, ſemper malum eſt; ſed quoniam ſudor ſponte prorumpens, reſolutionem promovere ſæpe videtur; igitur, cum, ſub morbi finem, ad ſudandum inclinatio contingat, et præſertim eodem tempore, remittentibus febris indiciis, capitis et pectoris dolore, et ſpirandi difficultate, promovendus eſt, frigorem evitando et potus tepidos devorando.

Opium, dum perſtant ſymptomata inflammationis, ſemper nocet, vel remedium ambiguum eſt.—Pringle verba repetere volo: "But when the fever is over, and ſleep is only "prevented by a thin defluxion to the lungs, "opiates will both give reſt, and promote "ſpitting *."

Calomel

* Pringle on Diſeaſes of the Army, p. 176.

Calomel cum opio conjunctum, auctoritate Doct. ROBERTI HAMILTON *, et clar. DUNCAN †, in morbis inflammatoriis, et præcipue Pneumonia, multum pollere videtur; et quoniam hoc medicamentum tam feliciter adhibitum fuit, inflammatione adhuc violenta; judicare licet, verſus finem morbi, omni periculo de opii adhibitione ſublato, remedium in hoc morbo perutile futurum alvi purgationes ſolicitando, urinæ ſecretionem, per cutem halitum, et expectorationem elliciendo, et dolore levando.

Quoniam in hoc morbo ægri robur, niſi cum remediis cum profuſione utamur, non multum diminuitur, regenerantur brevi vires, modico exercitio, diæta nutriente, et omni de morbo redituro timore evanito, vini pauxillo.

* Vid. Epiſtolam Doctoris ROBERTI HAMILTON ad Doct. DUNCAN. Med. Comment. vol. ix. p. 191.

† Prælect. Clinic. clar. DUNCAN, annis 1794, 1795.

F I N I S.